



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXV. De Jure, quod habet Episcopus in Clericos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

get, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

XXVIII. Corruptelæ istæ, quæ ex monasteriorum exemptionibus provenerunt, seculo duodecimo sese præcipuè exeruisse, & ad fastigium iniquitatis adscendisse videntur, ita ut nihil tum addi ad improbitatem potuerit. Præcipuè enim quæ extant querelæ, eâ ætate ab Episcopis fuerunt contextæ, non in Galliâ tantum, sed in Britannia etiam atque alibi passim. Vixit iisdem temporibus Johannes Sarisberiensis, qui in *politratico lib. 7. cap. 21.* hanc de monachorum istâ exemptione fert censuram: *Hi sunt, qui potestatibus persuadent, & propter vitia personarum, jure suo priventur Ecclesie. Decimationes & primitias Ecclesiis subtrahunt, & Ecclesias ipsas accipiunt de manu Laicorum, Episcopis inconsultis. --- Et quidem majora impune faciunt, & quasi cornibus gemine potestatis, Ecclesiam in cujus sinu quiescunt, & proteguntur unbrâ, ventilare non cessant. Ad Ecclesiam namq; Romanam confugiunt, quæ mater pietatis religioni consuevit providere quietem. Implorant opem ejus, protectionis impetrant clypeum, ne cujusquam possint malignitate vexari, & ut se possint plenius exhibere, & charitatis implere manus, ne decimas dent, Apostolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo sibi plura impune liceant, à jurisdictione omnium Ecclesiarum se ipsos eximunt, & efficiuntur Romane Ecclesie filii spirituales. Ita tamen ut pro foro rei ubiq; conveniant, sed tamen conveniri non possunt, nisi Romæ vel Hierosolymis. --- Sumus, inquiunt tuti Apostolico privilegio, cur beneficio de nutrimentis animalium & laboribus nostris decimas retinemas. Nempe Apostolis omnia licent, sed omnia ab Apostolicis fieri nequaquam expedit. Esto, quod illi vobis hoc licenter concesserint, vos an rectè petieritis videtis. Nempe qui petit, ut quod debet, non faciat, justitie spontaneus non obedit &c.*

CAP. XXV.

De fure, quod habet Episcopus in Clericos.

I.

Supra, cum de hospitalibus agerem, mentionem feci canonis 8. ex Concilio Chalcedonensi, quo jubentur Clerici ptochotrophiorum, monasteriorum & martyriorum Episcopo diocesano subesse. Id verò ad illos solos restringendum non est, sed quia putarunt illi, propter conditionem suam exemptos se esse à potestate Episcoporum, nec paria se facere cum reliquis Clericis, qui Ecclesie inserviunt, hinc adeo specialiter constitui oportuit, etiam illos Episcopis subjectos esse debere. Nec verò unquam dubitatum fuit in Ecclesia, *Πισκοπικόν*, quam habent Ecclesiarum Rectores, sese

D d d d 2

ex-

extendere ad omnes personas, quæ quoquo modo ad promovendum cultum divinum & ad Ecclesiastica negocia concurrunt. Et hinc adeo, postquam diviſæ fuerunt parochiæ, certi unicuique positi fuerunt limites, intra quos, quæ inveniuntur personæ Ecclesiasticæ, illius parochiæ Rectori obedire & subjecti esse tenentur.

II. Hujus autem subjectionis plurimi in jure Canonico recensentur articuli, qui ostendunt, Clericos quoscunque suæ Ecclesiæ ita addictos, & affixos quasi fuisse, ut ab Episcopis suis invitatis, eorumq; subjectione, separari & discedere nullo modo potuerint. Hæc enim fuit causa, cur prohibiti fuerint cujuscunq; ordinis Clerici sine literis Episcopi sui systaticis iter aliquod suscipere, cur nec recipi debuerint à quoquam, si literis ejusmodi destituti fuissent. Alibi prohibitum fuit, ne quisquam eos sollicitet & ad alias Ecclesias pertrahat, ne quis Episcopus extraneus eos ad sacros ordines promoveat, neve quisquam eos detineat, aut ut diutius ab Ecclesiâ suâ abſit, persvadeat. Coërcentur etiam illi, qui *in vobis* cogitant, & hinc inde vagantur, nec in certâ sede manent, nulli Ecclesiæ addicti, nec Episcopum certum, cui obedientiam præstent, habent. Quibus omnibus graves subinde decretæ fuerunt pœnæ, uti ex sequentibus testimoniis patebit, quibus tamen addi possent multo plura, cum propter iteratas clericorum transgressiones sæpius repetere oportuerit eadem monita atque præcepta.

III. Concilii Antiocheni hoc fuit decretum *can. 3.* Si quis presbyter vel diaconus vel quis omninò ex sacerdotali ordine suam parochiam deserens, in aliam abierit, deinde omninò commigrans in aliâ parochiâ multo tempore immorari conatur: ne amplius ministret, maximo si vocanti suo Episcopo, & ad suam parochiam regredi commonenti exhortantiq; non pareat. Si autem in perverſitate perdurat, omninò à ministerio deponatur, ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si autem eum, qui propter hanc causam depositus est, alius Episcopus susceperit, ille quoq; à communi Synodo coërcetur, ut qui ecclesiastica statuta dissolvat. Ita & in Concilio Arelatensi IV. c. 4. statutum fuit, ut si fortè aliquis Clericorum regulam disciplinæ Ecclesiasticæ subterfugiens fuerit evagatus, quicumq; eum susceperit, & non solum pontifici suo non reconciliaverit, sed magis defensare præsumpserit, Ecclesiæ communionem privetur. Et Leo I. in epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum num. 9. hanc præscripsit regulam: *Alienum Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemq; conveniat &c.*

IV. De literis systaticis Clericis aliorum proficiscentibus necessariis, sic statuit Concilium Andegavense c. 1. ut non liceat Clericis de loco ad locum sine Episcopi permissione transire, nec sine commendatitiis sacerdotum suorum literis commeari. Et Concilium Agathense c. 52. Presbytero, aut diacono, vel clerico, sine Antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat. Et Aurelia.

lianense III. c. 15. De his verò Clericis, qui sub quâlibet occasione aut conditione in aliorum civitatibus vel territoriis crediderint immorandum ne ad illum clericatus honorem absq; sui Episcopi scripto atq; consensu debeant promoveri. Verum etiam presbytero, diacono, vel subdiacono sine Episcopi sui literis ambulanti juxta statuta priora communionem nullus impendat. Per Statuta illa priora intelligit canonem 6. Concilii Epaonensis, ubi eadem prorsus verba leguntur. Eodem pertinet Concilii Turonici I. canon. 12. Ut clerici non absq; sacerdotum suorum commendatione ad alias provincias sive civitates ambulare disponant. Et Concilii Venetici canon. 5. Clericis sine commendatitiis epistolis Episcopi sui licentia non pateat evagandi, & in omni loco, ad quem sine epistolis Episcopi sui, ut dictum est, venerint, à communionem habeantur alieni. Itemque Concilii Remensis can. 12. Si clericus proficiens de civitate ad alias civitates voluerit aut provincias pergere, pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur.

V. Sed nec sub promotionis ulterioris & ad altiorem gradum evectionis specie licere alienum clericum recipere plurimi prohibent canones. Talis est canon septimus Concilii Taurinensis: Synodi sententiâ definitum est, ut clericum alterius secundum statuta canonum nemo suscipiat, neq; sue Ecclesie, licet in alio gradu, audeat ordinare, neq; abjectum recipiat in communionem. Concilii Arelatensis II. can. 13. Nullus cujuscunque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente propriam relinquat Ecclesiam, sed omnimodè aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquo commorationis tempore, invito Episcopo suo, in alienâ Ecclesiâ habitans ab Episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur. Eodem pertinet canon ultimus Concilii Valentini, canon 13. Concilii Cabilonensis, & ejusmodi alii. Maximè autem huc facit Concilii Venetici canon 10. Episcopi ab aliis Episcopis ordinatos clericos, sine permisso eorum, à quibus fuerunt ordinati, promovere ad superiorem ordinem non presumant, ne concordiam fraternam injuria illata contaminet. Et canon 11. Concilii Arvernensis: Nullus Episcopus alterius clericum contra voluntatem Episcopi sui suscipere audeat, aut sacerdotio prorogare.

VI. Denique de clericis vagis & nulli Ecclesie addictis hoc factum fuit decretum in Concilio Moguntino c. 22. De clericis vagis seu acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neq; in servitio Domini nostri, neq; sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonicâ vel regulari vitâ degentes, ut in libro officiorum 2. c. 3. de eis dicitur. Hos neque inter laicos secularium officiorum studia, neq; inter Clericos religio tenet divina, sed solutos atq; oberrantes sola turpis vita completitur, & vaga, quiq; dum nullum metuunt, explenda voluptatis sue licentiam sectantur, quasi animalia bruta, libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, bippocentauris similes, nec equi nec homi-

nes. Tales omnino ubicunq; inventi fuerint, precipimus, ut Episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonicâ, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant &c.

VII. In his vero, quæ hætenus diximus, solis non absolvitur potestas, quam Episcopi habent in Clericos, sed alia & multo quidem exsuperantior sese exerit in jurisdictione, quæ illis concessa est, ut refrenetur licentia, & coërceantur temerarii conatus, in quos se effundit sæpè audacia clericorum. Verùm de hæc jurisdictione & judiciis Episcopalibus specialiter deinceps nobis agendum erit. Ideoque plura hîc addere superfluum erit & supervacuum, neque admodum necessarium.

CAP. XXVI.

De Jure visitationis & procurationis.

I.

Inter Jura Episcopalia maximè eminet jus visitandi, per quod multa & magna utilitas & Ecclesia ipsa in optimo flore sustinetur. Nec enim ulla tam perfecta in virtutibus & omnibus numeris absoluta reperitur societas, siue politicam spectes, siue Ecclesiasticam, quæ non aliquâ identidem correctione, aut confirmatione saltem, si nihil adhuc vitii contraxerit, indigeat, ut in bonitate suâ magis magisque proficiat, cum in bonitate semper gradus dentur perfectiores. Uti igitur Reges Persarum olim optimo consilio singulas universi sui imperii provincias obire solebant, easque illustrare & peragrarè, ut cognitum haberent, numquid ope & subsidio Regio alicubi opus esset: Ita jure Canonico salubriter constitutum est, ut Episcopi certis temporibus per dioceses suas, visitationes instituunt, & per eas probè dispiciant, utrum pastores & reliquæ personæ divino cultui destinatæ officio suo fideliter fungantur, in puritate doctrinæ perstent, receptum ordinem & præscriptum in actibus Ecclesiasticis observent, & ædificationem Ecclesiarum atque juventutis scholasticæ, quantum in ipsis est, debite, quâ verbis quâ opere promoveant, atque, si negligentiores illi in aliquâ re deprehendantur, tempestivè & fraternè eos moneant, aut duriore aliquo pœnarum genere coërceant.

II. Ne tamen quis ambiguitate vocabuli decipiatur, notandum est, visitatores inter Latinos aliquando dictos fuisse illos, qui Ecclesiam viduatam, siue defuncto præfule, siue dum in reatu esset, regebant. In Ecclesiis Africanis intercessores dicebantur, aut interventores, Græci μέτρον. De quibus est canon 74. in cod. Can. Eccles. African. Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit cathedram cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eidem Episcopum pro-